

sum. In quorum omnium evidentiam ampliorem rogati testes praescriptorum, sigillum capituli litteris praesentibus duximus appendendum. Datum et actum anno et die ut supra.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; an roth- und gelbseidenen Fäden hängt das Siegel des Bischofs mit dem Contrasigill, an grünseidenen das des Capitels.

No. 432. 1341. 22. Juni.

B. Withego II. eignet dem vom Pleban Johann zu Lieberose gestifteten Altar in der Domkirche und der dazu gehörigen Vicarie das Dorf Ullrichsberg.

In nomine domini amen. Ea quae pie aguntur, ne per lapsum temporis seu brevitatem vitae hominum in oblivionem deveniant, scripturae et testium solent testimonio perhennari. Nos igitur Withego dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis ac singulis Christi fidelibus, tam praesentibus quam futuris, ad quorum notitiam praesens scriptum pervenerit, ad aeternae rei memoriam volumus esse notum, quod dominus Johannes plebanus ecclesiae in Lubraz^{a)}, pia devotione ductus, cupiens ad honorem dei et gloriosae matris suae virginis Mariae, beatae Mariae Magdalенаe, beatorum martyrum Cosmae et Damiani, et gloriosae virginis et martyris Agathae altare de novo nomine perpetuae vicariae pro remedio suorum peccatorum et pro salute animae suae et progenitorum, cohaeredum et omnium benefactorum suorum in nostra ecclesia Misnensi instituere, ac augere numerum deo perpetuo famulantium sacerdotum, apud strenuum militem dominum Henricum de Slynitz dictam villam nominatam Vlrichsperg totam et in ipsa tria talenta cum dimidio annui census computata ad XIII solidos grossorum denariorum ad praesens dativorum, cum omni iure, utilitatibus, fructibus et libertatibus ad eandem villam pertinentibus, prout ipsum ibidem Henricus de Slynitz huc usque a nobis titulo feudali tenuerat, iusto emptionis et venditionis titulo interveniente comparavit, quam villam cum omnibus praescriptis ad ipsam pertinentibus dictus dominus Henricus de Slynitz nobis voluntarie et libere ad manus dicti domini Johannis, plebani in Lubraz coram subscriptis testibus, videlicet domino Henrico Misnensis ecclesiae decano, Thitzchone de Limpach officiali nostro, domino Henrico de Chrischow perpetuo vicario, domino Pe. de Slynitz milite, domino Hermanno milite et Friderico famulo fratribus dictis de Maltitz, et aliis pluribus fide dignis resignavit, eandem vero villam cum utilitatibus et libertatibus antedictis praedictus dominus Johannes plebanus in Lubraz a nobis ad altare praedictum seu ad vicariam praenotatam, pro dote appropriari humiliter et devote supplicavit. Nos itaque ipsius piis, iustis ac devotis favorabiliter inclinati precibus attendentes, quod divinus cultus semper sit augendus, institutionem et donationem praedictam approbando, supradictam villam Vlrichsberg ad manus nostras libere resignatam cum omni iure, censu, utilitate, fructu et libertate, ut praemissum est, in dei nomine et praedictorum sanctorum honore praescripto altari seu perpetuae vicariae praenotatae, in veram dotem ac possessionem perpetuam, nostri capituli voluntate ac consensu

a) Lieberose in der Niederlausitz. b) Ullrichsberg bei Rosswein, Par. Niederstriegis.